

Johann Sibrand David Blumenau

Divina Benedicente Gratia, Et Dirigente In Illustri Ad Varnum Athenaeo, Viro Prae-Nobilissimo, Amplissimo Et Consultissimo, Dn. Johanne Sibrando, ICto, Et Antecessore Celeberrimo, Collegii Ducalis Et Facultatis Iuridicae Seniore Meritissimo, Patrono Meo Observando, De Velorum Submissione Prodromum Historicum Benevolae Eruditorum Censurae A.D. II. Sept. MDCXCI. In Auditorio Maiori Submitto David Blumenau/ Gedan.

Rostochi[i]: Richelius, 1691


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747422931>


Druck Freier  Zugang





N. N. — 2 (42.)





DIVINA BENEDICENTE GRATIA,

ET

DIRIGENTE

IN ILLUSTRIS AD VARNUM ATHENÆO, *110*

VIRO

PRÆ-NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO,

DN.

JOHANNES SIBRANDO,

JCTO,

ET ANTECESSORE CELEBERRIMO,

COLLEGI DUCALIS ET FACULTATIS JURIDICÆ SENIORE MERITISSIMO,

PATRONO MEO OBSERVANDO,

DE

VELORUM SUB-
MISSIONE

PRODROMUM HISTORICUM

BENEVOLÆ ERUDITORUM CENSURÆ

A. D. II. SEPT. cl. lxxcxi.

IN

AUDITORIO MAJORI

SUBMITTO

DAVID *BRUNNEN*

GEDAN.



ROSTOCHI,

TYPIS JACOBI RICHELII, AMPLISS. SENAT.

TYPOGRAPHI.

VIRIS
PRÆ-NOBILISSIMO, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS; EXCELLENTISSIMO,
CONSULTISSIMIS, SPECTATISSIMIS,
DOMINO
PETRO MASCOVIO,
JCTO
ET IN ALMA GRYPHICA ANTECESSORI CELEBERRIMO,
S. R. M. SVEC. CONSISTORII
CONSILIARIO GRAVISSIMO;
DN. CHRISTOPHORO

Orswanten/

SENATORI EJUSDEM CIVITATIS MERITISSIMO,
MERCATORI PRÆCIPUO.

DN. MARTINO *Droyßen/*

ACADEMIÆ REGIÆ CONSISTORII
SECRETARIO DIGNISSIMO,
DICASTERII REGII IBIDEM ADVOCATO FIDELISSIMO,
DOMINIS, PATRONIS MEIS AC FAUTORIBUS MAGNIS,
PRODROMUM HUNC HISTORICUM

IN
GRATI ANIMI TESSERAM
CUM PROLIXO OMNIGENÆ PROSPERITATIS VOTO
EA, QVA DECET, OBSERVANTIA
D. D. D.

AUTOR
DAVID Blumenau/
GEDAN.



Q. D. B. V!



Ebere & *Patronis* otii constare rationem, cujus jam *Cato*, teste Justino, suo tempore reddendam putavit, haud ignarus, memor insuper Legis Academicæ, quæ jubet specimen aliquod studiorum ante discessum exhiberi, cum *pandere* huic rei *vela* animo jam dudum constituissem meo, elegeram istum in finem, imò ad colophonem perductum nobilissimum de *Nobilium Mercaturâ* thema, ad revisionem exhibueram *Viro nunquam satis laudando*, diuturniorequæ lucis usurâ dignissimo, nî præceps fatum opinione celerius *eum*, patriam suam visitantem, abripuisset, *qui* in se susceperat *Præsidium*: Virum intendo Excellentissimû, *JOHANNEM FESTINGIUM*, *Antecessorem hujus Almæ famigeratissimum, fulgidissimum, quem mecum obrariores animi dotes impensè tota luget Academia.* Cujusverò quòd obsignatum museum, facultas depositum repetendi denegata, ut *vela* penè *contrahere* fuisset coactus. Mutanda proin sententia, & quoniam occasione *velificandum*, materiam quandam de novo ut elaborarem enucleatiùs, induci facili negotio potui. Placuit inde præ aliis de *VELORUM SUBMISSIONE* publico in conflictu differere, cum quòd antehac, quantum ad meam pervenit notitiam, hæc materies ex præfesso a nemine sit tractata, tum quòd sparsim hinc inde nonnulla apud auctores reperiantur, & per se satis quidem intricata, nec non in utramquæ partem disceptata, ut, ubi pes figendus, vix constare

queat. *Passis* nihilominus *Velis* & *remis* profundum ingredi paro : & quamvis me omnem *rudentem* movisse polliceri haud valeam, *velificari* tamen fas æquumque visum : non meo honori ; ubi lubens *submitto vela*, haud ignarus, quam hâc in parte mihi sit curta suppellex, meæque imbecillitatis memor & materiæ gravitatis, *vela contraberem*, nisi & in magnis quandoque voluisse fat sit. *Explico* proin bonis avibus, ut spero, *vela*, ventisque secundis hæc ipla *deduco*, fretus ope supremi Numinis, maris pelagique Domini, quem, huic meæ ut adesse velit *velificationi*, ardentibus fatigo precibus.

§. 1. De difficili ergo, nec legibus, præprimis civilibus, expressâ, nec satis Juris usu definitâ, aut certis limitibus circumscriptâ materiâ, *VELORUM* scilicet *SUBMISSIONE*, verba facturus, quod solis introducta moribus, varieque usurpata, pro populorum scilicet & mari imperantium varietate, quæ passim & lectione Historiarum & Doctorum reperire licuit, disserere, & pro temporis, quâ includor, ratione, in ordinem aliqualem, methodus quod aliâs arbitraria, Exercitii Academici gratiâ redigere fert animus. Ubi in antecessum verborum erit habenda ratio, cum sine illis vix satis res ipsa intelligi possit. Dictum autem *VELUM*, teste *Nicolao Perotto*, Pontifice Sipuntino, in *Corn. Cop. colum. 21. lin. 26.* ab eo, quo quid *velatur* & *obvolvitur*. In eadem sententiâ *Martinus* Lexico Philologico, hæc voce. Alii à *volando*, quod *vela* ventis aptata volitare videantur, *Thef. Latin. Ling. ead. voc. Robertus Stephani* in *Thef. suo Tom. 3. eadem voce*. *Varro*, à *Velleribus*, tanquam materiâ ex quâ, derivare voluit. Dictus *Martinus* derivat à *velo* i. e. *tego*. *Papias* à *volatu*, unde *vexillum* ; vel *velando*, quod interiora velet. *Jul. Cesar Scaliger* de *Causis Latin. Ling. l. 1. Cap. 31. p. 71. à vebo, vexi, vexum, vexillum, & ἄνεμος velum*. Sed ne in hisce curiosior videar, pergo ad

§. 2. *HOMONYMIAM*. Ubi notandum, apud veteres *vela* dicta, quæ in ædibus, vel umbræ gratiâ, vel arcendi frigoris ven-

ventiqvè excludendi causâ obtendebantur. Hinc in Jure mentio *Velorum Siliciorum* in leg. 17. §. 4. ff. de *Actionib. Empt. leg. 12. §. 17. ff. de Instructo vel Instrum. leg.* Quæ ideò adhiberi siveve-
re, ne ædificia vento vel pluviâ laborent, uti passim videre apud Historicos. Vid. *Seld. de J. N. & G. juxta disciplinam Hebræorum lib. 2. C. 9. p. 238. latè explicantem.* Sic velum judicis pro ipsâ admissione & ingressu ad Judicem usurpatur in leg. 1. Cod. Theodos. de *Offic. Recl. Provinc. lib. 1. tit. 7.* Ut taceam istius formulæ sic satis usitatæ, *velo levato causam cognoscere*, quod idem, ac aperta fore, de quâ videndus *Peckius ad Rem Nauticam ad leg. 5. de naufr.* Ibiqvè *Vinn. p. 402. adde Seldenum antea citato loco.* Hic loci nil aliud, quàm velum, quod distentum in Nave, instar alæ, ventum excipit. Quâ de re passim Lexicographi.

§. 3. Pauca jam forent subnectenda ratione *SYNONYMIE*, quòd alias veniat nomine *Carbasi, Tegumenti, Aplustri &c.*, quodqvè *velorum submissio* itidem efferatur per *suppressionem, demissionem, depositionem, detractionem*, Germanicè *Segelstreichen*. Sed anteqvam ad originem progrediar, placet nonnulla *veterum Heroum* hic apponere *SYMBOLA*. *Masenius in Specul. Imag. Verit. Cap. 42. Num. 106. §. 53. p. 535.* refert, *Antonii Castrioti, Schanderbergii Nepotis*, Symbolum fuisse *Navem passis velis, sub pluviâ & vento*, cum inscript. *Juvat aër & imber.* Idem num. 60. affert Symbol. *Johannis Andreae Doria, Principis Melphi*, quod fuit *Navis explicatis Velis*, cum inscript. *Omnia fortuna committo. Posses & Capite 68. num. 10. p. 778.* producere *Velum navis madidum*, cum lemmate: *Gravat atqve levat.*

§. 4. *ORIGINEM Velorum* quod attinet, æqvè ac *Navis* dubio procul vetustissima est. *Navium* quippe usum vel antediluviana attingere tempora in dubium vix vocare poterunt, qui consideraverint, mare jam dudum fuisse sulcatum, vel ante *Noachi* tempora. *Polydorus* quidem *Virgilius, Neptunum*

primum navigandi artis *Inventorem* facit, isque à Saturno classi *Præfectus* fingitur. Sed ex Sacris meliora edoctus ridendas has fabulas censeo. Ipsam quod attinet *Navem*, illius inventio desumpta ab *Ave* videtur, quamvis alii à *Piscibus* opinentur. Ast cum ipsum vocabulum navis apertissime declaret, navim ad avis similitudinem ædificatam, placet arripere sententiam *Jacobi Pontani*, lib. 4. progymn. 31. Vix enim inter has voces discrimen, etiam ratione formularum loquendi, uti cum dicimus *velorum alas* de navi, & *alarum remigium* de avibus, nec malè respondent sibi utriusque partes. *Temo* quippe & *puppis caudæ*, *capiti prora*, (cujus est & rostrum, ab avis rostro) *remi* postremò & *vela alis* respondent. Nec infreqvens ab irrationabilibus hæc talia petere, quod aliis demonstrare exemplis tam foret facile, quam quod facillimum, imprimis in polioreticis. Navis pars non ignobilis *Vela*. Quorum *Inventor*, teste *Polydoro Virgil. de rerum invent. lib. 3. Cap. 15. p. 229. Icarus*; cui adstipulatur *Perottus in Corn. Cop. Colum. 170. lin. 33. Quamvis Diodorus Siculus* prodiderit, *Æolum* nautas primum *velis* uti docuisse. Quas fabulas suo relinquo loco, paucis examinaturus *MATERIAM, EX QVA vela* confici soverere.

§. 5. Confici verò illa ut plurimum è lino & cannabe palam est. Antiquioribus temporibus etiam *Corium* hunc in finem fuisse præparatam, testis locuples *Jul. Caf. Bell. Gall. lib. 3. cap. 13. v. 6.* cujus verba sunt: *Pelles pro velis, alutæque tenuiter confecta, sive propter lini inopiam, atque ejus usus inscientiam; sive, quod est magis verisimile, quòd tantas tempestates Oceani, tantosque impetus ventorum sustineri, ac tanta onera navium regi velis non satis commodè arbitrabantur.* Quomodo autem è corio *vela* fuerint præparata, consulendi *Bayf. de Re Nav. & Gyraldus.* Quin imò, teste *Nieuhodio*, in *Legat. Batav. ad Magnum Tartariæ Sinæque Chamum part. ult. Cap. II. sub rubro navis, ex arundine instar stabelli complicata*, ut habet versio *Georg. Horn. pag. 68.* Ratione *FORMÆ*, alia *triangula*, alia *oblonga*, alia

alia quadrata. Maximum vocatur *Acatium*, ad puppim *Epidromus*, *Dolon* minimum ad proram, præterea *Artemon*, minus *velum*, quod majoris celeritatis appendi solet. Reliquæ species vid. apud *Pontanum*, *progymnasm.* 32. p. 1935. quorum brevitas studio me refero.

§. 6. In *ORIGINEM* hujus *VELORUM SUBMISSIONIS* inquisiturus, reperio eandem non heri aut nudius tertius ortam, sed utiqvè antiquissimam. Ita rem vetustioris seculi antiquitatum scrutatores esse rentur. Uti enim *Fascium*, in occursum Magistratûs majoris, submissio indicium erat reverentiæ, ita insignia navalia in superioris digniorisq; occursum detrahi sivevisse. Vid. *Lips.* lib. 1. de *Elect.* Cap. 23. Confirmat rem Græcus Scriptor *Appianus*, singulari *Antonii & Domitii Ænobarbi* exemplo, in mari *Ægeo* invicem sibi occurrentium: *Ubi licitor primarius stans in prorâ, audacter iis, qui erant in navi Ænobarbi, ut subditis aut inferioribus occurrentibus, imperavit, Insignia detrahere, quod & fecerunt illi, & navem appulerunt ad latus navis Antonii.* Hactenus *Appianus*. Quamvis autem hoc per occursum saltem factum, satis tamen exinde constare potest, jam tum obtinuisse illum morem, & Romanos sese maris dominos venditasse. Inde pedetentim magis magisque inolevit mos iste, ut tandem in legem degenerasse videatur.

§. 7. *DIVIDI* quidem *Detractatio Veli* commodè posset in *Submissionis & Salutationis*, ad quas duas species reliquæ, quotquot cõmisci unquam poterunt, referendæ sunt, cum in hisce finis potissimum veniat conspiciendus. Sed cum passim hæc veniant tractanda, prolixior hîc non ero: Vela potius dirigo ad *DEFINITIONEM*.

§. 8. Quod autem hanc attinet, *Velorum Submissionem* describerem, non quidem *Dialecticorum* secutus subtilitates, sed more *Jure Consultorum*, veram non simulatam philosophiam, verbis ut utar *Ulp. in l. 1. ff. de Justit. & Jur. affectantium*: *Quod sit Ritus navalis, quo navigantes Urbibus, Castellis,*

stellis, Arcibus, vel etiam aliis Navibus, tum Humanitatis, tum Salutationis, tum Reverentia, quandoque & Subjectionis ergo Vela submittunt. Prolixiorem afferre explicationem haud è re cenfeo, quoniam per se satis patet.

§. 9. *SUBJECTUM, sive MATERIA, IN QVA* scilicet exercetur, est *Mare*. Quod quidem ratione *Dominii* caput, basis, & fundamentum *submissionis*, imprimis illius, quæ fit *subjectionis* ergo. De hoc ipso in principio hujus seculi acerrime reciprocata ferra: *Sit ne Dominii capax an secus?* Quoniam autem hanc materiam ante octodecim annos *Præ-Nobilissimus Dominus Prasæs* jam tractavit, in discursu de *Dominio Maris*, actum haud agam. Tribus saltem verbis historiam proponam, & summo attingam digito. Primum autem *Hugo Grotius* scripto libello de *Mari Libero*, initio hujus seculi, Batavorum voluit defendere navigationem ad *Indos*, prohibentibus id *Lusitanis*. Uti non minus *Marcus Zverius Boxhornius* Apologiam adversus *Pontum Heuterum*, pro *Hollandorum* navigationibus edidit. *Grotio* sese opposuit *Job. Seldenus* in suo libell. de *Mar. Claus.* Cujus quidem historiam ipse proponit in suis *Vindiciis* n. 6. §. 6. narrando occasionem illius scripti. Quæ sententia plures reperit asseclas, ita ut *Petrus Baptista Burgus* anno 1640. duos ediderit libros de *Dominio Genuensis Reipubl. in mari Ligustico*. Cujus quidem refutationem scripsit *Graswinckelius* anno 1652. in quo videbatur non tam *Burgum*, quam *Seldenum* tetigisse, ea propter quod suos libros, contra *Seldenum* scriptos, dubio procul prohibentibus *Batavis*, in lucem mittere haud fuerat ausus. Cui *suas Vindicias*, tecto licet nomine 1653. opposuit dictus *Seldenus*, quod & alii amplexi hanc sententiam scripta pro hujus vel illius imperio evulgassent. Inter quos & *Thomas Rivius*, *Anglus*, suæ *Gentis*, *Stephanus Fagundez*, *Lusitanici maris*, *Gallici* autem *Claudius Morisotus*, alios ut taceam, in lucem quædam emisserant, ita, ut si colligendi calculi, procul dubio hæc pro

pro communi venditanda sententia. Sed cum hic lubens meum suspendam votum, eum saltem in finem hoc addere placuit, ut inde constare possit, quantis cum viribus heic fuerit utrinque pugnatum. Utque, si quis hanc amplecti velit sententiam, non videatur suis destitui rationibus. Sed flectenda via velis.

§. 10. Paucisq; examini subjiendum: *possint ne certi constitui mari limites?* In negativam inclinat Grotius de Jur. Belli & Pacis lib. 2. Cap. 2. Th. 3. §. 2. tum propter magnitudinem maris, tum quod occupatio non procedat in re indeterminata. Cujus per omnia vestigia legit Theodorus Graswinckelius in *Scribituris suis* ad Censuram Johannis à Felden ad dict. loc. p. 104. adde *Schritsmeierum in Specul. Polit. quest. 29. num. 5. p. 330.* Quod mare non sit res cui terminus praescribi possit, sed incerto termino hinc inde volvatur, ut dividi sicut terra nequeat. In affirmativam nihilominus concedit *Becmanus Histor. Orbis terrarum Civil. Cap. 4. §. 2. p. 325.* Licet enim milliaria (ejus est ratio) certo sciri haud possint, *et adāta, tamen sciri posse, hodie non dubitari.* Item in *Parallel. Polit. Cap. 6. §. 5. p. 481.* quod *Capo, finis terra, Et Land van Staaden* seorsim sint selecta; quod Angliæ imperium maritimum se eò usque extendat. Ejusdem sententiæ *Osfander* est ad *Grot. lib. 2. Cap. 2. §. 3. p. 666.* quod sufficiat *divisio Mathematica per lineas mentales*, quemadmodum terra sancta per funiculos inensorios fuit divisa, non *materiatos*, sed *Geometricos*, seu *Mathematicas lineas, mente conceptas.* Cui succenturiatur *Joh. à Felden* in *Not. ad Grot. lib. 2. tit. 2. §. 3. p. 98.* *Schritsmeierus* loco paulò ante allegato p. 332. quod scilicet *universus mundi Oceanus beneficio graduum longitudinis & latitudinis, non solum in intellectu & mappis, sed etiam re ipsa possit discerni.* Ejus & sententiæ *Henricus Henninges*, ad sæpius dicti *Grotii* locum, p. 363. ubi allegat *Hieronymum de Monte, Tract. de Finib. regund. c. 1. qui terminos, in caelo & aère positos, tempore Alexandri*

B

Pape

Papa VI. inter Lusitanos & Castellanos, dividendo Insulas Indiae tunc noviter repertas, per lineas graduum caeli, scribit. Qui tamen locus meo in Codice loc. alleg. haud reperitur. Adde Seld. de Mari Clauf. lib. 1. C. 22. p. 170. Idem censet Stryck. in Dissert. de Jure Principis extra territorium C. 2. num. 72. qui Cromwellum jam diu diluisse hanc quaestionem statuit, ubi pacificatione Anglo-Belgica 1654. Belgas intra decem à littoribus Anglicanis milliaria abesse jufferit. Unde adjicit: si milliaria in mari terminari poterunt, certè nec limites planè respuere posse, praesertim cum & nautæ terminos in mari constitutos fatis benè noscant.

§. II. Sed alia adhucdum excutienda quærens venit: *Quousque scilicet extendendi termini isti forent, si admitteretur divisio per partes in mari, nec natura respueret proprietatem.* Plerique Doctorum statuunt, & colligere volunt, esse de territorio ejus loci, cui magis propinquat. Hunc in finem allegant *Glossam* in cap. *ubi periculum.* vers. 3. Porro, voce *territorio X. de Election. in Sexto.* Cujus sententiæ & *Baldus* non uno in loco, imprimis in capit. *ex literis* ad fin. *X. de probat.* & in capit. *accedens X. de lit. non contest.* ubi vult, *territorium se quousque in aquis extendere, quòd & aqua sint mensurabiles.* Addatur *Glossa* ad capitulum *licet. X. de feriis.* Lex *Insulæ 9. ff. de Judiciis.* Quo usque autem hocce se extendat territorium non satis convenit inter Doctores. Censente *Bartholo,* in leg. 6. princip. ff. de *Aqua pluvia,* (vicinum intelligit) *quo usque vox clamantis exaudiri possit.* Alii, *quo usque telum ab arcu mitti possit.* Plerique, *centum milliaria à littore.* Vid. *Bartholomæus Capolla,* de *Servitutibus Rusticorum Prædiorum* cap. 26. §. 14. ubi monet, quòd minus sit duabus Dietis, dicaturque locus propinquus. Add. *Castrensis* in leg. 9. ff. de *Judiciis.* *Bodinus* de *Republ.* lib. 1. Cap. 10. p. 170. refert: *In causâ Ducis Allobrogum ad 60. milliaria fuisse extensum spatium,* nisi autoritate *Baldi.* Vid. *Pufendorff.* de *J. N. & G.* lib. 4. cap. 5. §. 8. p. 486. *Quamvis*

vis videatur dicendum, modum pro spatio maris ad possidendum vacuum, variare. *Achill. Epstein ad Job. Frid. Horn. de civit. lib. 2. cap. 3. §. 9. qv. 5. p. 325. censet, eousque sese extendere, quo usque alii ab ejus usu arceri possunt.*

§. 12. Lubet paucis inserere materiam Juris publici, ratione Dominii maris, respectu Imperatoris & Imperii: ubi reperio, *Imperatori adscribi imperium maris Balthici apud Petrum Baptistam Burgum de Dominio Maris Ligustici lib. 1. cap. 5. p. 30. ubi inquit: Caesar itidem Romano - Germanicus mare, quod littora ad Romanum imperium spectantia alluit, sibi & Romano Imperio adscribit.* Quâ de causâ cum superioribus annis *Ferdinando II. Cæsari, Svecorum Rex Gustavus, pacis faciendæ capita GEDANI* proponeret, ac inter ea exigeret, ut Cæsar bellicas naves de Balthico mari deduceret, minimè consensit *Ferdinandus*, ne sic suo maris dominio derogaret. Innuit verò autor *Martem suum Sveco - Germanicum lib. 1. §. 3. p. 23.* Ubi subjungit, *Imperatorem per Capitulationem Ferdinandi II. Cap. 19. Cæsarem teneri prestare, ne mare Romani Imperii à Batavis occuparetur,* videtur non satis pertinenter inspectus ab Autore Articulus. Magis pro hac sententiâ militare posset, quòd *Dux Fridlandia,* sit electus Oceani *Ithalassiarcha.* Quamvis & litteram hanc præterito quoque seculo motam autor *der Monatsh. lichen Unterredung Tom. 2. M. Sept. 1690. p. 864. & p. 871. daß man die Schiffart auff der Ost-See/ vor ein regale S. R. Imp. gehalten.* Verùm lubet hic adjicere verba *Strauchii in Specimin. Instit. Juris Publ. lib. 2. tit. 3. §. 8. p. 200. inqvientis: De novissimo Imperii Germanici Jure quid habendum circa Maris Imperium, non adèd est liquidum. Hactenus enim nostri Cæsares, neque sibi maris imperium asseruere conceptis verbis, neque aliis mandasse reperiuntur, neque classem pro maris Jure instruxisse leguntur. Utut enim de Admiralio constituendo actum fuerit RUDOLPHO II. Cæsare, sub initium hujus seculi, & FERDINANDUS II. Caesar, WALLENSTEINIUM Oceani & Balthici Maris Admiralium*

creaverit, *successu tamen res, mox irrita facta, caruit.* Ex quibus satis constat, quid hâc de re sentiendum.

§. 13. *OBJECTUM* sunt *tempora Pacis Bellive*, quibus tenentur illi, qui submittunt vela, vel ex *jussu*, vel ex *pacto*, vel ex *consuetudine* exactè hunc observare morem, & tali ratione vel leviter agnoscere *potestatem territorialem* illius, qui tractum illum maris ad se pertinere evicit, uti alias territorium alterius ingressus tenetur, ut *temporarius civis*, Domini subesse Jurisdictioni.

§. 14. *FORMA* in modo salutandi consistit. Qui nunc in deponendo *vexillo*, nunc des *Top-Segels* / nunc *majoris Veli*, prout inter partes conventum, vel consuetudo, quæ legem imitatur, id exigere videtur. *Salutandi* animo *pars tantum inferior mali* dejicitur, seu, ut periti artis nauticæ efferunt, *Es wird im Mittel-Mast / die oberste Flagge / wenn man recht gegen ein Königl. Castel kompt / ein wenig herunter gelassen / aber alsobald wieder auffgezogen.* Qui mos observatur à Regiis navibus, *Cronenburgum* prætervehentibus, ceu notatum à *Stygm.* de Jur. Marit. part. 5. Cap. 1. §. 21. p. 328. Digna autem sunt, quæ his subnectamus verba *Pacificationis* inter *Christinam Svecorum Reginam, & Christianum IV. Regem Dania*, Anno 1645. die 13. Aug. Ita illa se habent §. 5. So hat man sich dahin verglichen und verabscheidet / daß wenn einige Schwedische Orlogs-Schiff groß oder klein / eins oder mehr / beladen oder unbeladen / durch den Sund lauffen / solches oder dieselben in dem Sunde gegenst Cronenburg kommende / jetzt berührtem Schloß Cronenburg zu Ehren / und nirgend anders in dem Canal des Sundes / sein oder ihr zwey Topsegel auff der grossen Mast / bis solches oder dieselben die Vestung passiret / fallen lassen / und die Schwedische Losung schieffen / auch mit der Dänischen Losung von dem Schloß wiederumb gehret werden / und da die Orlogs-Schiffe alsobald darauff ohne Niederlassung des Anckers ihren Cours fortsetzen / ihnen solches frey-

freyſtehen/ und dieſelbe zu keinem andern Beſcheid verbunden ſeyn ſollen. Et porrò art. 14. Da aber eines oder zwey Schiffe einer ganzen Floote begegnen/ alsdenn ſoll daſſelbe oder beyde/ nebt der Loſung das gröſſte Top-Segel ſo lange fallen laſſen/ biß ſolches oder ſelbige die Floote paſſiret/ oder die Floote in den Haven geſezet hat. Und werden nicht weiter weder zur Einwickelung der Flaggen/ oder dergleichen gehalten/ noch ihnen ein mehres zugemuhet. Auff den Fall aber/ daß zwey oder mehr Schiffe einander folgen/ und alſo eine Floote machen/ alsdann ſoll man beyderſeits mit der Loſung ſich vergnügen laſſen/ und keinem weder die Fallung des Top-Segels/ noch etwas anders angemuhet werden. Item ſeq. art. 15. Durch den Sund oder Belt mögen wol 1. 2. 3. 4. oder zum höchſten fünf Orlogs-Schiffe in einer Floote zu gleich/ ohne einige Ihr. Maytt. zu Dennemarck oder dero *Succeſſorn* vorher geſchehene *Notification*, *paſſiren*, und wenn ſie in dem Sund kommen/ ſollen ſie wie gedeutet iſt/ die Schwediſche Loſung ſchieſſen/ und für der Beſtung Cronenburg/ biß ſie ſelbige vorbey/ das groſſe Topſegel fallen laſſen. Finden ſie auch alda vor ſich Ihr. Maytt. von Dennemarck Schiffe/ alsdann ſey alles für eins gerechnet/ und keiner zu einem mehren verbunden/ vielweniger iſt eine oder andere *Juſtification* noch Einwickelung oder Einziehung der Flaggen anzumuheten. *Qvæ placuit vel ea propter excerptere, qvòdejuſmodi Pacificationes non in omnium ſint manibus, atq; inde conſtare poſſit, non ſemper unam eandemq; obſervari formam, ſed dependere ex conſuetudine & amabili compoſitione.* Adde hunc in finem, qvìd convenerit Anno 1655. inter hodiernum Gallia Regem Ludov. XIV. & Civitates Hanſeaticas. Art. 7. verba hæc ſunt: Und den Ungelegenheiten vorzukommen/ welche ſich begeben möchten/ wann der Hanſee-Städte Schiffe Ihr. Maytt. Orlogs-Schiffe begegnen möchten/ und alle *prætexte* der *violentz* ſo ihnen zuſtoſſen möchte zu benehmen/ ſollen dieſelben/ nach dem ſie werden ge-

strichen haben / so bald sie Fransche Flaggen vernommen / und ihnen die Francken das Zeichen mit einem Canonen Schuß ohne Kugel geben werden / sich auffhalten / an Bord kommen / und die *Chaloupe*, welche ihnen von Jhr. Maytt. zugeschicket werden soll / erwarten. Ubi notandum ex instrumento, quòd reperitur apud *Marqv.* de Jur. Mercat. lit. B. p. 31. in Gallico textu reperiri voces: *Après avoir abbattule pavillon.* Quod in versione Germanicâ effertur: Nachdem sie ihre Flagge streichen lassen / & in versione Belgicâ: Naer het stricken van de Blagge / dicto loco p. 52. quâ de re Benevolo Lectori integrum esto iudicium. Ita ad majorem reverentiam contestandam, wird das Top-Segel halb hernieder gelassen / und nicht eher biß man ein Canon Schuß weit in die See ist / auffgezogen / dafern die Schiffer nicht wollen pro contumaciâ einen jeden Schuß / der nach ihnen geschiehet / mit einem Rosenobel lösen. Vid. *Stypman* de Jure Marit. part. 5. Cap. I. §. 21. Quo neglecto per contumaciam tota navis unâ cum omnibus mercibus cedit fisco Domini illius maris, ut refert *Conring.* *Dissert. de Dom. Mar. Th. 38.* Quæ cum omnia, uti monitum, ex usu & pactis dimetienda, mutationi utiq; subjacent. *Job. Strauch. Spec. Instit. Jur. Publ. Lib. 2. tit. 3. §. 4. p. 198. ubi sit demum Imperium indicare vult, add. eundem in Dissert. de Imper. Mar. Cap. 6. Th. 1.*

§. 15. CAUSAM EFFICIENTEM hujus ritûs si respexerimus, principalis est *Majestas*, non soli ut alii statuunt *Principi*, sed & *Rebus Publ. Civitatibusq; liberis*, quæ superiorem neminem agnoscunt, præter DEum & ensem, competens, ceu testatur exemplum *Anglorum* sub protectore *Cromwello*, uti inferius demonstrabitur, nec non *Venetorum*, uti videre ex *scriptore Anonymo Dianoeæ* lib. 4. §. 5. p. 415. seqq. Ubi ergò majestas sibi dominum sive imperium maris vendicat, idque sibi debere evicerit, nullum dubium, quin illius territorium ingressi, accedente imprimis consuetudine, teneantur se ex asse ejusmodi submittere legi & constitutioni. Quòd pluribus sibi sumsit declarandum

dum *Seldenus* de Mar. Claus. *Abasv. Fritsch.* supplem. *Speidel.*
Besold. Voc. *Segelstreich* p. 115.

§. 16. *CAUSA IMPULSIVA & προκαταρκτική* est *maritimi imperii declaratio.* Cum enim in gratiam *Batavorum* libertas maris adstrui cœpit, veriti *Angli*, ne jure suo exciderent, per ejusmodi ritum, sibi facta & tecta conservare Majestatis Jura, hâc in parte competentia, consultum visum. Quod satis constare poterit ex scriptis, hinc inde in lucem emissis. Uti enim quis, ne fundum suum ingrediatur, prohibere potest; ita etiam in mari, quod terminis suis, finibus, & limitibus constare volunt, locum habeat necessum est. Item quod injuriarum teneatur is, qui invito Domino, fundum ingressus fuerit, & non minus lege vel armis contra eum experiri possit, qui neglecto ejusmodi mandato in majestatem commiserit. Uti itidem præbet exemplum *Cromwellus*, *Batavos* ad certum spatium, ne accedant, prohibens. Hinc disquiri posset: quid juris, si duæ civitates eandem sibi partem maris vindicent? Quâ de re *Epstein* ad *Horn. Polit. Architect.* l. 2. c. 3. §. 9. v. 1. qv. 6. ubi claudit hoc epiphonemate; sed qui seculi mores sunt ad hæc vix nisi tentatis viribus solent descendere.

§. 17. *FINEM* hujus ritus duplicem constituit *Strauch.* differt. de *Imper. Mar.* c. 6. *Salutandi & Imperium exercendi.* Prior ille finis imperium necessario non arguit, ut patet exemplo adducto à *Sleidano* lib. 22. cujus infra subjiciemus verba. Hic posterior videtur modus imperium maris retinendi per actum imperativum, qualis à lege præscribitur & Jubere leg. 7. ff. de leg. ne scilicet merces vitæ, *Wahren von Contraband* ad externos, invito illo, qui Dominium maris sibi vindicat, deferantur. De actu prohibendi, competente *Venetis* in mari *Adriatico*, ne quis inibi pro lubitu naviget, vid. *Bonaventura Stracha* Tract. de *navigacionibus*, in ejus *Opp.* p. 429. §. 8.

§. 18. *MODI* acqvirendi ejusmodi Jus iidem poterunt constitui, quibus maris acqviritur Dominium, qualis *occupatio*
per

per bellum legitimum; sicquè Jure belli, præscriptionis item, nec non conventionis & pactorum. An etiam Pontificis adjudicatione? qui sibi has partes adscribit. Quod tamen credere Secta nostrorum temporum vix patitur. Sed de his & aliis laxiùs tractare, uti jam antea dictum, in aliud tempus reservo. Vid. interim *Petr. Baptist. Burgum* in sæp. alleg. Tract.

§. 19. EFFECTUS consistit in Agnitione Imperii illius, cujus mare est. Hinc, sunt verba *Petri Baptista Burgi* de Dominio maris Ligustici, alius maritimi Domini effectus. Nam maris Dominus in suo mari, tanquam in suo territorio, delinquentes capere & punire potest. Item, quòd à plerisque maris Dominis exigì solet, ut scilicet præter navigantes, qui in naves Domini maris incidèrint, summa dimittant vela, quòd in recogniti Domini signum deberi censetur. Quà de re passim loquuntur exempla, mox adducenda. Insignior etiam effectus cernere est in prohibitione certarum mercium, quòd ea propter visitare solent naves, ne quid ad exteros evehant, quòd damnum inferre possit.

§. 20. Essent quoquè nonnulla adducenda ratione probationis; cum autem hodiè probandi mos habeatur excellentissimus, Jure qui fit *Canonum*, quòd videamus à potentioribus. vix aliud admitti jus: licet instrumentis quoquè apud pacis amantes non parum proficiatur, uti videre est apud *Seldenum* de mar. liber. lib. 2. Cap. 26. ubi p. 491. bina præ cæteris insignia testimonia, nempe *vetustissimam* consuetudinem, & libellum vetustum *antiquissimæ* autoritatis. Quibus adminiculatur *longa consuetudo*, in primis *propria oris confessio, instrumenta, testes* & id genus alia.

§. 21. Non etiam foret abs re, perlustrare, quibus competat hoc ipsum jus, quibus verò non? Ubi imprimis sibi hoc ipsum adscribere *Angli* videntur, scilicet in *Mari Britannico* penè ultra 500. annos, uti in testimonio, omni exceptione majori, reperisse gloriatur *Seldenus*, in suis *Vindiciis* §. 4. p. 9. Sed quoniam hic aliquid certi definire meum non sit, ideo hæc talia,

alia petenda ex longiori consuetudine, ex pactis, conventis &c. Certi enim quippiam definire nimis foret periculosum.

§. 22. Ordo præscriptus postulat, ut de *contrariis* & pauca in medium proferam. *Modi* hinc enumerandi venirent, quibus *alia Jura amitti* sivevère, ubi occurreret *præscriptio*. Cum enim non usu, ex contrariâ præscriptione id tralatitium sit, & in Jure non inusitatum, quin & locum hinc haberi possit, nullus dubito. Possent & *pacta* & *conventiones* hoc ipsum efficere; ut exempla passim occurrentia hoc satis superquæ testatum reddunt. Cum & insuper nihil tam naturale, quàm ut quidvis solvatur eodem modo, quo ligatum est.

§. 23. Demum ut *armis acquiruntur*, ita & *armis defenduntur* Jura, quod videre est ex bello inde orto inter *Anglos* & *Batavos*, ubi alter pugnaret pro *libertate*, alter pro *defensione Juris*, quod ad se pertinere duceret. Hinc satis constat, ad defensionem requiri *classem*, ad Juris in se competentis conservationem. Sed de hisce & aliis quædam in medium proferre opus haud censeo. Ad finem propero, ubi unam alteramvè quæstionem, huc pertinentem, breviter leviterquæ tetigero.

§. 24. Prima hinc occurrit quæstio: *Utrum hac velorum submissio indicium sit maritimi Imperii?* Quod quodammodo negandum censet *Stypm. alleg. loc.* qui id saltem indicium *Gratitudinis* & *Reverentia*, quod iter sub Principis auspicio consummare licuerit, & quandam quasi *Salutationem* opinatur. Cui videtur adstipulari *Job. Seld. in Vind. adversus Graswinck p. II.* Verum quidem, dicens, *omnimoda maritimi Dominii Jura, ex velorum ejusmodi dimissione solâ, non magis probari, quàm ex Homagio, feudi nomine præstito, omnimodos Dominii, cui præstitum sit, apices competere.* Ita apud *Sinenses*, naves, quibus *Piscis Saul* & *Siricia tela* in aulam *Pekingensem* transportantur, hæc honoris specie afficiuntur, *ut iis cuncta alia cedant, & vela dimittant; refer. Job. Nieubof. in Legat. Batav. ad magn. Tartar. Cham. part. ult. cap. II. p. 69.* Ejusdem sententiæ est *Strauch, in Specim. Institut.*

C

Jur.

Jur. Publ. lib. 2. Cap. 3. §. 4. & in dissert. de Imp. Mar. Cap. 6. §. 1. qui tum demum indicare imperium censet, wann das Top-Seigel halb hernieder gelassen / und nicht ehe / biß man einen Canon-Schuß weit in die See ist / wieder auffgezogen wird. Contrariæ imprimis opinionis stator acerrimus Seld. de dom. Mar. Lib. 1. cap. 26. uti etiam pleriqvè Doctorum in contrarium pedibus ire videntur. Hinc Becman. in Parall. Polit. cap. 6. §. 5. p. 480. præcipuum Imperii maritimi indicium à velorum demissione peti vult, quod indicet agnitionem, eos in territorio alieno agere & tali modo temporarios esse subditos, ut in simili argument. leg. 8. §. 22. ff. de muneribus, judicat, Rhet. in Institut. Juris. publ. German. Roman. lib. 2. Tit. 19. §. 8. p. 444. Paria sunt quæ habet Conring. in disp. de Dom. Maris th. 38. Hanc, dicit, auctoritatem sibi omnes, Dominio maris gaudentes, in recognitionem Domini sumunt, & quidem jure, Idem enim est ac continuum Domini exercitium, & quamdiu hæc auctoritate quis utitur, nulla adversus proprietatem ejus maritimam currere potest præscriptio. Idem adstruit Marq. de Jur. Mercat. lib. 2. Cap. 5. §. 42. Id tamen (sunt ipsius verba) Regibus Angliæ in Domini Maris recogniti signum jure antiquissimo præstari solitum, demonstrat Seld. de Dom. Mar. lib. 2. Cap. 26. add. Locc. de Jur. Marit. lib. 1. cap. 8. §. 10. p. 47. Quamvis hoc certum, quod idem monet, non semper & per se in recognitionem Domini maris, sed Honoris causâ plerumqve fieri, etiam illis in locis, ubi vel non alterutri, vel neutri maris est Dominium. Quod & Marq. censet loc. supr. alleg. nec Seld. strenuissimus alias hujus sententiæ defensor de Mar. Claus. lib. 2. Cap. 26. p. 492. prorsus abnuat, cujus verba hæc sunt: Demissionem illam Velorum non solum in honorem Angli, sed & in imperii dominiq; recognitionem in hoc mari fieri, nemo dubitat.

§. 25. Negari interim nequit, velorum dimissionem quandoq; esse indicium Reverentiæ. Hinc Steph. de Burman. in Bello maris Anglicani p. 7. injustissimi belli illatis Helena. Quam diu intra exhibenda à præsternavigantibus reverentiæ postulata postulantiura stetit

fletit ambitio, à nobis nec inditis nec renitentibus, coruscans magnè
& vel inter Insulares maximi Principis radius, si quando Regia
Classis nostra, aut è Classe Regiâ naves insigniores nostris occure-
rent navibus, nullum non honoris genus supra etiam saepe quàm pe-
teretur, obtinuit, denegandum aliàs & denegatum, si exigeretur
imperiosius: estimantibus haud illiberaliter nostris, quod quæ ar-
bitrii sunt meri, humanitatis officia spontè oblata, honorem hono-
ranti non minùs saepe etiam magis quàm honorato concilient,
extorqueri non debeant, ne is, qui extorserit, pro gloriâ ludibrium,
qui extorquere sibi passus fuerit, pro gratiâ contemptum, uterq; pro
honore dedecus reportent. Voluntariam hanc facilitatem juvit
magnoperè probatissima, & nullo unquam ævo obliteranda Prin-
cipum quondam Angliæ, in Rempubl. nostram, rebus adversis be-
nignitas. Lubuit hæc adscribere ex personato illo deBurmannia,
quoniam exactius aliquantò rem videtur delineare, & scrip-
tum sit illius temporis, cum maximè vigeret hæc controver-
sia anno 52. hujus Seculi.

§. 26. Præterea in recognitionem Imperii maris quan-
doquè fieri, vix dubitare patitur *Historia præteriti & hujus Seculi*.
Ita Seld. de dom. mar. lib. 2. Cap. 26. p. 492. binas hæc de re in Gal-
liâ emanatas constitutiones recenset: alteram Henrici II. anno
1155. alteram Henrici III. anno 1184. quæ voluere, ut exterorum
naves per mare Gallis conterminum transeuntes *summa vela*
navibus regis submitterent; quarum tamen neutram in Parla-
mentis à Patribus admittam, imò posteriorem, quantum ad
effectum juris, planè rejectam. Vid. *Marq. de Jur. Merc. lib. 2.*
C. 5. §. 41. p. 226. Cum & historia testetur, *velorum demissionem*
denegatam, belli quandoquè ansam præbuisse, ceu videre est ex
declaratione manifestariâ Batavorum de anno 1652. quòd con-
stet, inter alias causas, Anglis occasionem præbuisse, fœderati
Belgii Hollandis bellum inferendi, quòd Admiralius Batavo-
rum *vela dimittere* detrectarit. Verba Manifesti producimus:
In Trompium isli cum potestate vicariâ Archibalassum, quem
classi nostræ proposuimus, per suum maris Præfectum, quòd ad ipsius

nutum noster a plustre non demississet, cum tamen secundum diversas easque consonantes testium etiam extraneorum Spartium neutri addictorum depositiones, summorum velorum demissione, atque attrahi curando scapham, quo Officialium suorum aliquem ad Praetoriam Archibalassi dicti Regiminis submitteret officiose salutationis ergo, occuparetur, integrum navalis lateris tormentorum ordinem hostiliter disploserunt, miserè vulneratis nauticae nostrorum turbae complurimis. p. 33. Cujus quidem rei plurimi injiciunt mentionem. Vid. Stryk. volum. 2. disp. 1. Cap. 1. num. 76. & alii passim.

§. 27. Non inelegantis quoque hic foret quaestio: *Utrum Princeps in alieno territorio, ubi ita fert consuetudo, vela submittere teneatur?* Pro affirmativa facere videtur, quod Princeps extra suam ditionem in alieno territorio pro privato sit habendus, argumento *Cap. 4. X. de Judic.* Ast considerato, quod Princeps nunquam privatus censeatur, eaque propter inferiori Judici vix ac ne vix quidem sit responsurus, factique infective redditurus rationem, dignitatisque suae semper ac ubivis retineat axioma. Quod pluribus, si vacaret, demonstrare exemplis facillimum foret. Quamvis sint, qui certos distingvi velint casus, nempe: *an volente, an ignorante, vel invito Domino territorium sit ingressus?* Quo quidem ultimo casu, quia violata Jurisdictio dici queat, vix dubitatur. Perplacet, pro negativa sententia ferre calculum: Principem haud teneri *vela submittere*, quod exemptus sit ex numero temporariorum subditorum nec par in parem habeat potestatem.

§. 28. Sed quid dicendum de *Legato Principis, vel Liberae Republ. tenetur ne is vela submittere?* respondetur quod non. *Legatus* enim habet *Characterem Principis sui*, ejusque repraesentat personam, ita, ut omnia nomine sui Principis agat, non aliter ac si ipse esset praesens. Unde eundem oportet, quae ad praerogativam pertinent, acriter defendere, nec pati, ut vel quicquam in detrimentum famae ac honoris Principis sui cedat. Vid. *Dan. Clasen. Polit. Comp. Succinct. lib. 3. Cap. 9.*
ad

ad §. 2. not. p. 433. *Fictio* insuper operatur in casu *ficto*, quod *veritas* in *vero*: *ejusq; persona* auspicio *Domini sui* semper est *Sacro-Sancta*; uti hâc in parte nuperis temporibus inter *Pontificem Maximum & Legatum Regis Christianismi*, ratione der *Quartier Freyheit*/ publicè hâc de re in lucem emissa scripta satis superq; testantur. Quorum epitomen reperire est in denen *Monatlichen Unterredungen* de Anno 1689. Mens. April. p. m. 449.

§. 29. Non minoris commatis, quando disquiritur: *Num exteris velorum dimissio sub aliquâ comminatione possit imperari?* Quod quidem non æqvè adeò videtur arridere *Marq. de Jur. Merc. lib. 2. Cap. 5. num. 45.* dum scribit: *Sub captura navis periculo velorum submissionem imperare extraneis velle, contra justitiam & æquitatem esse dicit Ludov. Servin. 2. Tit. II.* (videtur autem digitum intendere in *cap. 26. lib. 2. Seld. de Mar. Claus. p. 492.*) cum exteris enim & amicis non ex rigore agendum: inq; eum finem citat *Autorem de Judicio inter gentes* (est is *Richardus Zuchaus Anglus*) part. 2. sect. qvæst. 14. p. 264. cujus rei exemplum apud *Joh. Rich. Malcomes. in Comment. ad Wesemb. paratit. ad lib. 1. tit. 8. lit. E.* Ubi refert ex relationibus illius temporis, daß der *Marschall d' Aumont* ohnweit *Calais* ein *Englisches Schiff* in den Grund geschossen / und ein anders / weiln sie ihm zu gemuhtet die *Segel* für ihnen zu streichen / weggenommen. Der *König in Engelland* aber den beyden *Capitainen* nicht recht gegeben / daß sie die *Segel* für dem *Frantzösischen Admiral* nicht streichen wollen / indem er solche *Gerechtigkeit* nur auff dem *Oceano*, nicht aber auch in der *mittländischen See* prætendirte. Unde satis constat, venire distingvenda loca, ubi sibi invicem occurrant, sit ne *ditionis occurrentis*, an *secus*.

§. 30. Sed ad quæstionem: *An Regnum à Republ. vicinâ velorum dimissionem prætere valedat, & quidem extra territorium?* quid respondendum: Quæstionis hujus fundamentum ponendum in *maris Dominio* esse censet *Stryck. in dissert. de Jur. Princip. extr. territor. cap. 2. §. 72. p. 52.* cum haud immeritò objici hîc possit: *Extra territorium Jus dicenti haud impudè pareri,*

pareri. Et distinguendum omnino foret, an *intra limites Juris dictionis* an *extra* occurfus fiat, indequè facile decifum formari poffe. Deinde, ane hâc de re certa pacta, qvalia inter *Regem Gallia & Civitates Hanſeaticas*, uti ſuperius monitum. Tum quovè hîc *conſuetudini* non parum concedendum, uti quæ ſtriçtè obſervanda venit.

§. 31. Aſt quid Juris, ſi inter *Reges & Majeſtates*, non poſit hâc de re conveniri, uti videmus graviffimas ſæpe incidere quæſtiones de *limitibus terreſtribus*, quod multò magis de maritimis, ubi vix ſtatui tam exacti termini poterunt, valet. Quin hoc caſu pactis & conventionibus ſit res componenda nullum dubium; quod & *Marq. cenſet de Jur. Merc. dict. loc. num. 44. ſi*, inqviens, *de hâc velorum ſubmiſſione conveniri inter Reges non ſatis poſſit, ſub certo pacti modo deſiniri ſolet.* Quod etiam factum in pactis pacis *Regum Sveciæ & Daniæ*. Loca heic indigitanda reperies, ubi de formâ actum ſuppeditata ex *pacificatione de anno 1645.*

§. 32. Quandoquè etiam *ſub ſpecie demiffionis velorum inſidias eſſe ſtructas* confirmat locuples teſtis *Sleid. Hiſt. lib. 22. p. 709.* Ubi leguntur illa: *De navibus interceptis edito ſcripto Caſareani ferunt, cùm nihil minus quàm bellum Caſar expectaret, ac ſuis, ut eſſent pacati, mandaffet, Gallicum Ducem Polinum in has incidiffe, & quaſi Reginam Scotiæ ferant, nuntiaſſe illis, ut honoris cauſâ, pro more antiquo atq; recepto, ponerent antennas, vela demitterent, eamq; tormentorum tonitru ſalutarent; id cùm feciſſent, inermes fuiſſe per fraudem circumventas & abduçtas.* Non abſimile exemplum in concuſſu navis *Sveticæ*, prætoriæ regiæ tum in Galliam Legati *Illuſtr. Comit. Magni de la Gardie, & Britannicæ*, quod anno 1646. obtigit, refert *Job. Locc. de Jur. Marit. lib. 1. Cap. 5. §. 11. p. 48.* Quamvis & adhuc plura, ad hanc rem facientia, adduci poſſent, in præſentiarum tamen tempore deſtitutus filum abrumpo, & ſecundis curis dicenda
reſervo.

Hic igitur noſtram teneat jaçta Anchora Puppim;
Sitq; Honor æterno, qui regit aſtra, DEO!

EXpetis, Politissime Dn. BLUMENAU, abs me, ut in li-
gata adjiciam, in commendationem Tuæ dissertationis;
Aft exaruit vena, *nec vino vendibili opus suspensa hedera:*
nec est quod currenti calcar addam. Te scilicet & *Otii babu-*
isse, & habere rationem, bina in Gryphica ante aliquot annos ex-
hibita Exercitia Academica, satis testatum reddunt. Utinam
& alii ejusmodi exemplis inducti, M. illius Catonis, uti in
principio dissertationis adductum, & initio illius originum le-
gitur, exhibente classico & omni exceptione majori teste M. T.
Cicerone in Orat. pro Cn. Plancio c. 66. qui id semper putavit magni-
ficum & præclarum, ut frustra quis objiciat effatum huic opposi-
tum. S. *Sulp. Galba*, tum privati, post Imperatoris, apud *C.*
Sueton. Tranquill. in ejus vita c. 9. dicere soliti, *quod nemo ratio-*
nem otii sui reddere cogatur: ob rationem scilicet politicam, non
quod ita sentiret, quod ob Neronis tyrannidem cogeretur pau-
latim se *desidia segnitieque* dare, ne materiam præberet ad odi-
um vel suspicionem. Uti videre apud *Is. Causaubon. in Com-*
ment. ad illum locum p. 521. Magis probanda, quæ Catonis sen-
tentiam ad vivum exprimunt, verba *Q. Aurel. Symmachi V. C.*
P. U. & Cos. Ord. Lib. 1. Ep. 1. ad patrem Symmachum: libet, inqvi-
entis, *non minus otii quam negotii præstare rationem*. Plane fimi-
lia rei Rust. scriptor *Colomella lib. 2. circa fin. tam otii, quam nego-*
tii, rationem reddere, majores censuere. *Otia* quippe dant vi-
tia, & *otiosus Scholasticus est sicut incendium.* Uti doctè deducit
Henr. Vaquetius in Commentar. doctiss. ad v. xθημ. Job. Caselij
hîc quondam Professoris, post Juliae famigeratissimi p. 92. quor-
sum & tendit illud *Ennianam* apud *Attic. Noct.* scriptorem *AGel-*
lium l. 19. c. 19. Otioso in otio, animus nescit quid velit. Hoc idem
est: neque domi nunc nos, neque militia sumus, Imus, huc; binc illuc;
cum illuc ventum est, ire illinc lubet. Incertè errat animus; præ-
ter propter vitam viditur. Aft Tibi Ex *meliori luto finxit præcor-*
dia Titan, quod etiam otii tui reddendam Patronis rationem du-
cas. Didicisti, *melius esse coarctare juveniles calores, ne cupidini*
dediti

dediti tristem sentiant exitum, qui eos post dispersum expectat patrimonium, uti loquitur Imperator l. ult. §. 5. C. de bon. qua lib. id quod demum Philosophia perfecta, cense eodem Nov. 74. c. 4. Maeste proin hac tua virtute, nullumq; dubium, si in hoc studio currere perrexeris, quin aliquando Patria possis in partibus tibi credendis inservire. Evitabis Scyllam, nec incidet in Charybdim illecebrarum variarum, quibus exposita hæc ætas, inquam citato ruunt cursu, Vacone qui litant & voluptati, alea item & veneri, parum pensi habentes, quod non qui ceperit, sed cursum bene finierit, sit coronandus. Pergas strenue, & non dubites, quin dulcissima patria post varios exantlatos labores, Te in sinum sit receptura, quod optat & vovet

Dissertationis

PRÆSES.





NAvita de Ventis narrat : Tu Vela favente
Submittis aurâ & fidere.
Ista sed optatum spondet *Submissio* cursum :
Fac, assequare *Littora*!


*Populari & Familiari suo Candido
reliquit Amoris Mnemosynon
ex almâ Rosarum
abituriens*


M. DANIEL Gradel Dantisc.











lum restat, per quem, quando, &

roberur? Cum enim ætas sit quid incertum, quotidie mutetur, teste Menoch, de præsumpt. lib. 2. us Cic. loquitur, volet; & hinc facti esse dicatur, do de probat. Vol. 2. conclus. 665. unde probandum uni, unanimi juris consensu ab interpretibus trahim facti sunt, de his in genere constitutum legimus, antur, sed allegata probari debeant. text in c. cum iudic. deleg. c. 1. de constit. in sexto l. in bello 12. §. & postlim. revers. l. afferatio 10. C. de non num. pec. l. 1. consil. Marp. vol. 1. cons. 15. n. 252. & alii, quos Agri- 156. Quis ergo ætatem probare teneatur, hic quærimus? Resp. Eum qui ætatem allegat, vel do, vel excipiendo, eandem probare tenere, ex minore 4. ubi Sichard. n. 1. C. de in integr. restit. l. de r. l. c. te minore 9. ubi Sich. n. 1. C. de probat. latissime robat. Cons. 666. p. totum exemplis illustrat & con- plenarie ac dilucidis probationibus ætas proban- s à D. Agricola pag. 157. sunt autem ætatis pro- Et quidem

ectum sive inspectionem corporis probari potest: D. de minor. quo spectat illud juvenal. facies tua t a. h. m. ut si de ætate hominis dubium sit, ille judi- sam illam commiserit, præsentetur ac sistatur, ut a aspectu corporis iudicium desumat, Decisio Ro- r interlocutoriam definit aliquem esse minorem, r. 18. D. de minor. Contra quam tamen interlocuto- contrarium admittitur l. si minorem 4. ubi Salict. in integr. restit adde Mascard. concl. 667 de jure Sa- rit vid. Sächsisch Landrecht lib. 1. art. 42. dus probandæ ætatis per testes fit text. expressus in ven. atat. impetr. Quorum in numero obstetri- ti, consanguinei, vicini, Mascard. vol. 2. concl. 668. onjunctissimæ personæ admittuntur, quales sunt

D

AVUS